

L E C T O R I .

BEnevole Lector, Non malè illi mihi calculum posuisse videntur, qui Historiam oculum prudentiæ civilis; Geographiam vero oculum & lumen Historiæ vocant. Nec enim res vel magnæ vel parvæ geri possunt, sine loco, nec loca terrarum distincte cognosci, sine Geographia. Habet suum in historia momentum personarum cognitio, habet temporis, habet quoque loci. Si Thermopylas nescis, frustra Lacedæmoniorum cum Mardonio pugnam legis, si Arbelas, cœcutis in Curtio; si Actium promontorium, hæres circa Actiacam victoriam; si campos Catalaunicos, nescis, ubi cæsus fuerit ab Aëtio Attila. Bellum gerentibus sciendum omnino, quo duci possit exercitus, ubi commoda castrametatio, ubi insidiæ locorum oportunitate strui, ubi evitari prudenter queant. Nec alia occasione à Thomyri, Scythiæ regina, ad internecionem fusus fuit Cyrus, quam loci ignorantia. Non ob aliam causam adversus Parthos infelicissime pugnavit Crassus, felicissime ubivis terrarum Cæsar, quam quod ille locorum, quæ copias suas duxit, fuerit imperitus, hic peritissimus. Et quomodo, sine Geographiæ cognitione, res, quas domi negavit natura, ex diffitis longe regionibus, maria ultra & terras, peti possunt, nisi Orientis & Occidentis, continentis ac Insularum situm positionemque perspectam habeamus? Ut simul & ad gloriam & vitæ humanæ felicitatem, commodaque, viam stravisse, Geographia putanda sit. Nisi fluminibus, montibus, fretis, isthmis, mari discernentur imperia, quis bellorum finis, quis imperiorum terminus? Ambitioni suæ modum ponit Princeps, qui regni sui fines à Geographis potius, quàm ab illa ipsa ambitione, dominandi magistra, discere satagit. Qui cœlos scrutantur, respondentés illis in terra circulos, zonas, climata investigare necesse habent, nec dierum, ac noctium discrimina, ortus & occasus siderum rectos
* & obli-



CRISTINA BIBLIOTECA
GRAN LUIGI LERCARI